

Gratias Tibi ago, Vir Celeberrime, insignes pro munere  
Tuo Tentaminis luculentii de Opobalsamo, in quo tam splen-  
dide de Rege meo Ejusque in bonas Literas amore censes.

Ne, quaeso, dubites, me omni oblata occasione operam  
daturum, ut Tibi constet, quanti ego faciam illustre nomen  
Tuum et merita summa, quibus in Orbe eruditio clares et  
immortali fama clarebis. Si quid unquam erit penes me,  
quod Tibi acceptum fore judicabo, mihi credas, velim, ejus  
Te participem reddere mihi tam erit gratum, quam quod  
gratissimum. Vale.

Dabam Hafniæ die XXV. m. Maji, A. D. MDCCLXV.

(87) Per-Illustri ac Generosissimo  
Domino Carolo à Linné  
Equiti aurato, S. R. M. Sueciae Archiatro  
Celeberrimo, reliqua,  
S. P. D.  
J. H. E. C. de Bernstorf.

Redditæ mihi sunt Literæ Tuæ die XXIX mensis Ja-  
nuarii proximi ad me perscriptæ, præclarum animi Tui in  
me affectum uberrime significantes, eoque mihi nomine quam  
acceptissimæ. Gratias Tibi ago, Vir Celeberrime, maximas,  
tot tantisque abs Te benevolentiae testimoniiis cumulatus,  
easque referendi si mihi unquam occasio obtinget, me sane  
felicem existimabo. Pauca quippe sunt, quae me majore  
voluptate afficere poterant. Quoties recordabor, meos qua-  
lescunque de literis et scientiis bene merendi conatus Tuo  
calcuso probatos et à Te laudibus ornatos fuisse, non potero  
quin eas Tuæ in me Amicitiae soli gratus tribuam. Vehe-  
menter autem laetor, Te aliquo in loco posuisse paucula illa,  
quibus voluntatem in Te meam studiumque desideriis Tuis  
inserviendi declarare volui potius quam potui; Id quidem est  
quod magno mihi honori duco. Tibi Tuisque usibus, Vir  
Clarissime, aliquid impertiri, quod ad amplificandam et illu-  
strandam rerum Naturæ, operum Creatoris summi, cogni-